

Pondero præterea Eusebium totum suum discursum in particula *propter* fundasse. Nam quia Philosophus admiserat mundum propter hominem creatum esse, inde intulit hominem fuisse priorem in intentione divina, et inde tandem ordinem intentionis et executionis in ipsa Dei voluntate distinxit, suumque discursum ex illis Christi verbis: *Sabbatum propter hominem factum est*, confirmavit; unde eodem modo possemus nos, ex infinitis sacræ Scripturæ locutionibus similibus, eandem veritatem comprobare.

18. *Veritas supra dictorum ostenditur.* — Denique ratione etiam potest eadem veritas ostendi, quia quidquid perfectionis in voluntate creata et actibus ejus invenitur, licet in voluntate creata, non sit nisi admixtum imperfectionibus, nihilominus, seclusis imperfectionibus Deo tribuendum est, cui nulla perfectio deneganda est; sed operari proprie et perfecte propter finem spectat ad perfectionem simpliciter; ergo hoc maxime tribuendum est Deo. Minor certissima est, quia in universum pertinet ad perfectionem agentis, non tempore et casu operari, sed in definitum terminum sua actione tendere, et ideo omnia agentia, etiam naturalia, quatenus perfecte operantur, agunt propter finem; inter illa vero, ea quæ ratione carent, agentur potius quam agant propter finem, propter imperfectionem suam, unde necesse est ut ab aliquo intellectuali agente dirigantur, ut etiam Aristoteles assecutus est; ergo, in intellectuali agente, ad formalem perfectionem ejus simpliciter spectat ut per se operetur propter finem, certa ratione et consilio sua opera in definitum finem ordinando. Hoc autem faciunt creaturæ rationales, vel producendo actus a sua voluntate distinctos, vel unum actum per alium efficiendo, ut electionem mediorum per intentionem finis, vel unum prius tempore et causalitate, quam aliud volendo; hæc autem imperfectiones et similes removeri possunt a voluntate Dei, servata perfectione simpliciter agendi et volendi propriissime propter finem; nam propter infinitatem et simplicitatem suam, uno purissimo actu potest velle plura objecta creata, unum ut finem alterius, et ut rationem volendi illud, sicut etiam eodem actu vult se et alia, se propter se, et alia propter ipsum; ergo habet Deus proprie et formaliter illam perfectionem, sine cæteris imperfectionibus. Et confirmatur, nam difficilius apparet uno et eodem actu aliquid velle necessario, et aliqua libere, et unum efficaciter, aliud ineffaciter, seu sim-

plici affectu, quam velle unum ut finem, et alium ut medium; sed in divina volitione simplicissima, illa omnia inveniuntur eminenti et formali modo, quia ad perfectionem simpliciter spectant; ergo hæc etiam intelligenda in ea sunt. Quidquid ergo nos appetimus diversis actibus, intendendo, diligendo, utendo, fruendo, vult Deus uno simplicissimo actu.

19. *Confirmatur, et declaratur.* — Hæc autem perfectione intellecta in divina voluntate, consequens necessario fit ut in eo sit ordo intentionis; hic enim ordo per se, et remotis imperfectionibus, non dicit ordinem realem in ipsis actibus, sed tantum veram rationem formalem intentionis et electionis in tali actu, ex quo resultat ordo aliquis realis in ipsis objectis; et consideratur a nobis secundum rationem in ipso actu Dei, quia non possumus illum prout in se est intelligere, sed inadæquate illum concipiendo, et in plures actus secundum rationem illum distinguendo. Ergo, sicut in nobis est ordo intentionis realis, ita est in Deo eminentiori modo, quem nos per distinctionem et ordinem rationis explicamus. Et confirmatur ac declaratur, nam simili ratione docent Theologi Deum habere in mente sua ideas, seu rationes rerum omnium, per quas tanquam supremus artifex res tam varias ac multiplices operatus est. Quia, ut Augustinus ait, l. 83 Quæstionum, quæst. 48, non aliter intelligimus Deum summa ratione omnia condidisse; non minus autem concipere debemus Deum rationabiliter operantem in morali, quam in artificioso modo operandi; ergo necessario debemus concipere Deum ut perfectissime operantem propter finem; nam, sicut ad perfectum et rationabilem modum operandi artificis spectat, per proprium exemplar unumquodque producere, ita, ad perfectum et rationabilem modum agentis libere, et moralis pertinet, per propriam intentionem, et electionem propter finem operari; sic igitur operatur Deus; ergo in voluntate ejus datur verus ordo intentionis, qui in illis actibus consistit.

20. *Distinguitur ordo intentionis ab executionis ordine.* — *Probat.* — *Confirmatur.* — *Declaratur.* — Et hinc ulterius sequitur ordinem intentionis, nostro modo intelligendi, esse distinctum ab ordine executionis, et illo priorem. Probat, quia nos non possumus apprehendere aut explicare divina, nisi ad instar eorum quæ in nobis experimur; sed in nobis ordo intentionis antecedit ordinem executionis, quia finis est qui prius movet ad sui affectum

et desiderium, seu intentionem, et inde fit transitus ad electionem, et inde ad executionem, seu usum; ergo, licet Deus hæc omnia in se habeat uno simplicissimo actu, nihilominus, secundum rationem, intelligere debemus voluntatem Dei primario ferri in finem quam in media, et prius per modum cujusdam determinati affectus interni, quam per modum executionis ad extra, et hoc vocamus ordines intentionis et executionis. Et confirmatur, nam in scientia Dei, licet simplicissima et sine discursu sit, intelligimus Deum, verbi gratia, scire hominem esse risibilem, quia est rationalis. Unde, nostro intelligendi modo, si actus illos ratione distinguamus, apprehendimus ut priorem cognitionem essentiæ, quam passionis ab illa resultantis, et actum circa principium, quam circa conclusionem; ergo similiter in proposito. Declaratur præterea, quia, ubi nos intelligimus unum dependere ab alio, et non e contra, intelligimus prioritatem et ordinem secundum rationem; sed executio pendet ab intentione, et illam supponit; e contrario vero intentio non ita pendet, quia, licet intentio efficax inferat executionem, tamen potest esse intentio determinata, et executio indifferens, quia potest per varia media et diversis modis fieri; ergo intelligitur recte ordo rationis in quo intentio præcedit.

21. *Rejicitur fundamentum in ultima sententia propositum.* — Neque contra hanc resolutionem ullius momenti est fundamentum novum in ultima sententia propositum. Id enim, quod supponit, Deum constitui volentem libere simul per suam essentiæ et creaturam volitam, incredibile mihi visum est: tum quia inde sequitur Deum, ex parte saltem, formaliter constitui volentem per ipsam creaturam volitam; tum etiam quia similiter concedendum erit, constitui formaliter scientem res factas per ipsas creaturas scitas, quod nulla ratione permittendum est, quia hoc major imperfectio esset in Deo, quam accipere scientiam vel voluntatem a rebus. Deinde creatura volita vel scita, est terminus extrinsecus volitionis vel scientiæ; ergo non potest formaliter concurrere ad constituendum Deum volentem vel intelligentem; nam in nobis non est intelligibile solum, quia objectum se habet extrinsece; ergo multo minus in Deo. Denique denominatio volentis vel scientis, nulla ex parte potest esse extrinseca, etiam quoad determinationem ad tale objectum, alias non esset vitalis, neque ex intrinseca perfectione.

22. Et ut alia omittam, quibus illud princi-

pium everti facile potest, etiam illatio quæ ex illo fit nullius est momenti, nam ut Deus sit volens libere, non est necessaria existentia actualis creaturæ; alias ex tempore constitueretur Deus volens; sufficit ergo objectiva præscientia; ergo etiam consequenter dicendum esset Deum constitui volentem per creaturam objective sibi conjunctam, tam in ordine intentionis quam in ordine executionis, præsertim quia ad actum liberum non est necessaria mutatio libera in objecto voluto, sed sufficit moralis, vel secundum aliquam habitudinem ad esse futurum; hæc autem mutatio etiam in ordine intentionis spectari potest, quia, eo ipso quod Deus intendit creare hominem, intelligitur homo ipse novo quodam modo conjunctus voluntati divinæ; ergo, in illa opinione, etiam dici posset et deberet Deum constitui sic determinate volentem per suam voluntatem, et hominem sic objective sibi conjunctum; quod si hoc est incredibile, quia illa qualiscumque mutatio in tali objecto a voluntate Dei libera provenit, idem est probabile in voluntate executionis, quæ est causa sui objecti. Sit ergo certum dari ordinem intentionis in voluntate Dei libera.

23. Hoc ergo supposito, in particulari puncto, quod prima objectio facta postulat de electione prædestinatorum, imprimis fatemur in operibus gratiæ et gloriæ maxime inveniri ordinem intentionis et executionis, et utrumque considerari debere in divina voluntate, seu prædestinatione. Deinde admittimus circa prædestinatos primum omnium antecedere efficaciter decretum Dei, quo ante omnia merita absolute prævisa statuit talibus hominibus dare regnum cælorum, quod *decretum*, respectu prædestinatorum, vocatur *dilectio*, et respectu aliorum qui non sic eliguntur, vocatur *electio*; et respectu mediorum, quibus comparanda est beatitudo, vocatur *intentio*. Est autem absoluta et efficax, ut sit proportionata mediis certis et congruis, quæ ex vi illius dantur prædestinatis, ut indeclinabiliter gloriam consequantur. Distinguitur autem secundum rationem ab electione mediorum, quia circa diversa objecta versatur; et præcedit secundum rationem, tum quia gloria est propter se, seu immediate propter Deum, media autem sunt propter hominis gloriam; tum etiam quia decretum de gloria per se non limitatur ad hæc vel illa media, sed postea hæc per electionem determinantur. Unde etiam distinguitur illa intentio a voluntate exequente, quia intentio, nostro modo concipiendi, incipit ab ipsa gloria, et præ-

cedit merita absolute prævisa; voluntas autem executiva incipit a vocatione, et inde procedit ad alia auxilia, quibus fiunt merita et perseverantia in illis, quibus prævisis, intelligitur voluntas executiva etiam circa ipsammet gloriam, quæ cadit in illam sub diversa ratione præmii jam debiti, et est per modum applicationis potentiæ executivæ, vel per modum actualis productionis luminis gloriæ, et auxilii necessarii ad videndum Deum, in quo beatitudo consistit.

24. *Respondetur principali objectioni.* — Ad objectionem ergo principalem, concedimus Deum ante omnia merita prævisa elegisse prædestinatos efficaciter ad gloriam; hoc enim, propter discursum hic factum, et Scripturis et Augustino magis consentaneum existimamus, ut in aliis locis citatis latius ostendimus. Neque talis actus est suppositio ita antecedens ut tollat libertatem, quia per se non est executiva, neque determinativa voluntatis creatæ, et quia virtute includit habitudinem ad media efficaciam, non sine libera determinatione voluntatis humanæ conditionaliter prævisa. Et ideo, ad illam intentionem gloriæ, non est necessarium auxilium prædeterminans, sed congrua vocatio sufficit; unde consequenter dicimus, ut Deus habere possit hunc actum, salva ipsius efficacia et prædestinatorum libertate, necessario supponi in Deo scientiam conditionatam, quam nos verissime supponi censemus, ut ostendimus in secundo prolegomeno, ubi quæ contra illam objici solent dissolvimus.

25. *Ad replicam quæ nunc additur, respondetur negando sequelam.* — Ad replicam autem secundam, quæ nunc additur, quod tunc ista electio non esset omnino gratuita, sed aliquo modo ex prævisis meritis, respondemus negando sequelam, quæ certe fundari non potest nisi in errore Massiliensium, qui ad rationem præmii vel pœnæ putabant sufficere opera sub conditione prævisa, quod tamen Augustinus et Prosper omnino damnant, ut in prolegomeno 2 visum est. Et ad hominem potest retorqueri argumentum; nam qui ponunt physicam prædeterminationem, negare non possunt quin Deus, per scientiam simplicis intelligentiæ, ac subinde ante electionem prædestinatorum, præscierit, si talibus hominibus talis modus prædeterminationis detur, fore consensuros; et tamen inde non sequitur quod voluntas eligendi eos ad gloriam fuerit ex illis operibus; ergo nec in nostra sententia sequitur. Dicemus ergo illam præscientiam esse necessariam ex parte Dei, ut habeat certa media

quibus suam electionem exequi possit, si eam gratis velit concedere. Unde non sequitur Deum elegisse hominem, quia libere erat consensurus, sed elegisse illum quia voluit, et, quia elegit, ideo ita vocare illum ut consentiat, ut Augustinus, quæst. 2 ad Simplician., et aliis locis docet. Et ita etiam non sequitur numerum salvandorum non esse certum in voluntate, sed in præscientia, nam per scientiam conditionatam nihil scitur absolute futurum; ergo in illa non potest esse certus prædestinatorum numerus, sed cum illi voluntas adjungitur, in ea est certus, ut per se satis constat.

26. *Instantia.* — Sed instari potest, quia illa voluntas dandi gloriam, quam Deus habuit erga prædestinatos, inclusit necessario respectum ad talia media, quorum efficacia ex libero arbitrio pendeat; ergo semper includit conditionem, si homo consentiat, seu cooperetur vocationi; ergo non fuit absoluta et efficax voluntas. Item non potest magis esse absoluta voluntas finis quam mediiorum; sed mediiorum non est absoluta simpliciter; ergo nec voluntas finis. Probatur minor, quia est voluntas meritorum libere exercendorum; ergo necessario includit conditionem in objecto, alias libertati repugnaret. Præterea vocatio congrua non est ex se absolute efficax, sed solum supposita cooperatione liberi arbitrii sub conditione futura; ergo nec voluntas finis, quæ includit formaliter vel virtute ordinem ad talem vocationem, potest esse simpliciter absoluta, quia saltem virtute includit semper illam conditionem. Denique illi voluntati Dei potest humana voluntas resistere, simpliciter loquendo; ergo illa voluntas Dei non est absoluta et efficax, nam voluntati Dei efficaci nemo potest resistere. Antecedens probatur, quia homo potest absolute non habere talia merita, sed si illa non habeat, resistet illi voluntati; ergo simpliciter potest illi voluntati resistere.

27. *Respondetur.* — Ad hæc responderi potest voluntatem illam Dei dupliciter considerari posse: uno modo, secundum se et abstrahendo a præscientia Dei conditionata; alio modo, ut jam supponit illam scientiam; et priori modo non esse absolutam voluntatem neque efficacem, sed indifferentem ut sit efficax in præscientia; et hoc probatur argumentis factis; alio vero modo posse considerari ut conjunctam scientiæ conditionatæ, et ut sic esse efficacem. Ad eum modum quo nos dicimus vocationem congruam per se spectatam, et secundum suam absolu-

tam entitatem, non habere intrinsece ac determinate actualem efficaciam, sed potius de se esse indifferentem, ut congrua vel incongrua sit, in præscientia autem esse congruam et efficacem, quia cooperatio liberi arbitrii illi conjungenda supponitur.

28. Sed non est necessaria distinctio quoad actum divinæ voluntatis, neque illi recte accommodatur, neque etiam æquiparatio illa cum congrua vocatione in omnibus fieri potest. Imo, ex diversitate inter voluntatem internam Dei et vocationem externam facile res intelligitur. Vocatio enim est res creata habens suam absolutam entitatem, secundum quam optime consideratur, ut præcisa a cooperatione voluntatis creatæ, quam prædeterminare non potest, sed excitare et inducere, et cum illa cooperari si velit, et ideo de se dicitur non inferre necessario actualem efficaciam, sed solum ex suppositione quod voluntas sit illi cooperatura, quam suppositionem entitas illius vocationis per se non postulat nec præsupponit, sed solum ut procedit ex tali præscientia, et ideo sub tali respectu dicitur efficax, non absolute et secundum se. At vero decretum illud voluntatis Dei, ut sit tale decretum, necessario supponit talem præscientiam conditionatam, qua illa media præcognoscuntur ut efficacia. Nam si decretum illud consideretur secundum suam solam absolutam entitatem, sic non est decretum efficax, nec inefficax, nec absolutum, nec conditionatum, imo nec decretum liberum est, sed sola voluntas Dei se necessario amans, et potens libere amare objecta creata, seu creabilia, prout voluerit, sine mutatione vel additione reali, quæ in ipsa fiat. Constituitur autem, nostro modo intelligendi, in esse talis decreti per determinatum respectum ad tale vel tale objectum, et quia determinatio voluntatis supponit objectum cognitum sub tali ratione vel conditione, qua possit tale decretum terminare, ideo non potest tale decretum absolute tantum, et secundum suam entitatem spectari, sed necessario considerandum est ut supponit talem scientiam, et cum illa tali vel tali modo determinatur.

29. Et hac ratione, si Deus non habet scientiam conditionatam de futuro effectu talis vocationis, si detur, nullo modo posset habere decretum dandi illam vocationem ut congruam et efficacem, neque daret illam ut gratiam specialem et singulare beneficium, quale in præcedenti capite explicuimus; supposita autem præscientia, dat illam peculiari affectu longe diverso ab eo quem habet erga

illum, cui dat vocationem entitate similem absque tali præscientia; et ideo talis affectus singularis non potest considerari tanquam quid absolutum et abstrahibile a tali præscientia, seu objecto, ut per illam proposito. Sic ergo dicimus de electione prædestinatorum ad gloriam. Nam, ut haberi possit eo modo quo nunc illam habuit Deus, necessario supponit præscientiam ejusdem gloriæ, ut infallibiliter comparabilis per hæc vel illa media, et ideo considerari non potest secundum se, ut abstrahit a tali præscientia, per quam objectum capax talis effectus illi proponitur. Ut sic autem spectatum, illud decretum omnino est absolutum et efficax, quia, licet executio ejus pendeat ex cooperatione libera, tanquam a concausa vel conditione necessaria, nihilominus ante tale decretum supponitur purificata conditio in præscientia Dei, et in objecto, ut per illam proposito, et ideo absolute vult Deus talem gloriam dare, et per illam voluntatem efficaciter determinatur ad danda media quæ in præscientia sua novit esse efficacia.

30. *Respondetur ad alias instantias.* — *Ad primam.* — *Ad secundam.* — Ad instantias vero facile respondetur. Ad primam, aliqui dicunt decretum illud dandi gloriam, de se abstrahere etiam a meritis, et aliis mediis pendentibus a libertate hominis, ideoque esse posse omnino absolutum. Sed non placet, quia probabilius est, semper et in omni signo prædestinasse Deum gloriam, ut humano et morali modo consequendam, et ut coronam ac præmium meritorum, in quo necessario includitur virtualis ordo ad merita, seu ad media moralia et libera, saltem abstracte et in communi. Dicimus ergo quod, licet, secundum hanc considerationem, medium illud pendeat a conditione homini libera, tamen, quia in præscientia Dei jam supponitur purificata conditio, decretum est omnino absolutum. Sicut inter homines, quia ignorant conditionem futuri eventus, promissio sub conditione talis eventus futuri conditionata est; si tamen fiat promissio sub conditione de præsentia cognita, nomine tantum est conditionata, et propositum internum necessario erit absolutum, quia purificata est conditio. Et simili modo dicimus ad secundam instantiam, voluntatem dandi merita tali homini, seu voluntatem dandi illi fidem, charitatem, etc., esse absolutam, sicut mox de prædefinitione dicemus; neque id repugnat libertati, quia supponitur in præscientia futurus usus ille libertatis, et per illam suppositionem purificatur conditio, potestque

esse decretum absolutum sine læsione libertatis.

31. *Ad tertiam. — Ad quartam.* — Ad tertiam, eodem modo dicimus hoc decretum Dei, de gloria hominis prædestinati, virtute ordinari ad vocationem congruam, ut congrua est, concipique ex suppositione congruitatis ejus jam prævisæ. Vocatio autem illa, licet præcise spectata non sit de se efficax, tamen, ut congrua est, omnino est efficax, et ita, purificata conditione, non impedit quominus decretum Dei sit absolutum. Ad quartam, negatur posse voluntatem humanam resistere illi decreto Dei, sicut non potest resistere vocationi congruæ, ut congrua est, et prævisæ ut tali. Neque hæc impotentia resistendi est contraria libertati, quia non est impotentia simpliciter, sed ex suppositione usus liberi jam prævisi. Nam si voluntas prævisa est hoc volitura in tali tempore et occasione, jam non potest aliter velle, illa hypothese supposita, et nihilominus libere est volitura, quia hoc ita futurum supponebatur; eodem ergo modo non potest voluntas resistere voluntati Dei, quæ ex efficacia sua et sapientia potest applicare media, cum quibus novit voluntatem consensuram.

CAPUT L.

APPENDIX DE PRÆDEFINITIONIBUS CUM ALIARUM
OBJECTIONUM RESPONSIONE.

1. *Scopus et summa capituli.* — De prædefinitionibus divinis. — Ut aliis objectionibus satisfaciamus, pauca de prædefinitionibus divinis, quod tertio loco proposuimus, dicenda sunt. Et imprimis, circa verbum *prædefiniendi* seu *præfinitendi* (idemque enim sunt in usu Scripturæ et Patrum), advertendum est in significatione non distingui a verbo *prædestinandi*, nam indifferenter utroque Patres utuntur, ut ex infra citandis constabit. Et in Scriptura idem verbum græcum *ἐπιζω*, vel *προορίζω*, interdum per verbum *prædestino*, interdum vero per verbum *præfinitio* aut *definitio*, a vulgato interprete transfertur, ut videre licet ad Rom. 1, et ad Cor. 2, et ad Ephes. 1, et Actor. 2, et ita hæc verba ut synonyma ponit Salmeron. in Præludiis ad epist. Pauli, tract. 2, disp. 4, ubi etiam addit verbum *prædispono*, quod minus usitatum est, et verbum *prædetermino*, quod etiam in Scriptura non invenio, usu tamen Theologorum receptum est, ut statim dicam. Quia tamen hæc verba ex simplicibus composita sunt, addita particula *præ*, circa utramque

partem aliquid declarandum est, ut in verborum significatione æquivocatio tollatur.

2. *Consideratur verbum destino, vel definitio.* — Circa verbum ergo *destino* aut *definitio*, advertendum est posse, vel ad internos actus animæ, vel ad externos, qui ab illis procedunt, applicari. Nam *destinare*, ad animum relatum, idem est quod proponere, vel intra se constituere aliquid faciendum, juxta illud 2 ad Corinth. 8: *Et destinatum voluntatem nostram*, et cap. 9: *Prout destinavit in corde suo*. Et juxta hanc significationem in Deo explicuit verbum *prædestinandi* Paulus ad Ephes. 1, cum dixit: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum, secundum propositum voluntatis suæ*; et in eodem sensu loquitur ad Roman. 8, dum ait: *His qui secundum propositum vocati sunt sancti*, de quibus postea subdit: *Quos prædestinavit, hos et vocavit*. Apud Latinos vero sæpe refertur hoc verbum ad exteriores actiones, et significat *mittere*, vel ad aliquod munus aliquem exterius designare. Idem considerare licet in verbo *definiendi*, nam communiter significat, aut verbis describere, seu declarare rei naturam et essentiam, aut certis terminis et limitibus rem aliquam terminare. Frequenter vero refertur ad animum, ut patet ex illo Actorum 2: *Hunc definito consilio et præscientia Dei traditum*; et cap. 17: *Definiens statuta tempora*; et Luc. 22: *Filius hominis sicut definitum est vadit*. Idem notari potest in verbo *determinandi*; in rigore enim significat exterioriorem actionem ponendi terminum certum, vel loci, vel temporis; transfertur vero etiam ad animum, nam, quia voluntas de se indifferens est, cum aliquid eligit vel proponit, determinari dicitur. Et ita, proportionem servata, idem est *prædestinare* quod *prædefinire*, et utrumque verbum potest Deo attribui, vel ratione interni et æterni propositi, ut videre licet in D. Thoma, 1 part., q. 23, art. 1, ad 1, et 3 contr. gent., cap. 90, vel ratione externæ temporalis actionis, qua causam secundam de se indifferentem ad unum determinat, ut nunc moderni Theologi frequenter loquuntur.

3. *In Deo prædefinitio seu prædeterminatione ad intra et ad extra ab auctore distinguitur, et cur.* — Verbi prædefiniendi, et prædestinandi notio. — Tò prædefiniendi, et præparandi quid differant. — Et ideo, in libr. 1 de Auxiliis, capit. 16, numer. 6 et sequentibus, ad tollendam hanc verborum æquivocationem, ne quæstiones confundantur, distinximus in Deo prædefinitioem seu prædeterminationem ab intra

et ad extra, et proposui uti verbo *prædefiniendi*, ad significandum internum decretum Dei, quia in hoc sensu invenio magis usitatum in Scriptura divina verbum *definiendi*, Deo attributum; verbum autem *prædeterminandi*, ad significandam externam actionem prædeterminantem accommodavi; quia neque in Scriptura divina, seu in Vulgata Latina hoc verbum usitatum invenio, ad significandum prædestinationem Dei, et, in rigore Latino, verbum *prædeterminandi* proprie sumptum externam actionem magis significat. Quod si alicui (ut video) hæc accommodatio verborum non placuit, non contendo de verbis, dummodo res ipsa de qua disputatur ambiguitate verborum non confundatur. Idem notari potest in verbo *disponendi*, quod fere idem est cum verbo *præparandi*, in quo similem fere distinctionem notavit D. Thomas, 1 part., quæst. 23, art. 2, ad 3, aliis verbis, distinguens duplicem præparationem: unam, quæ in passo recipitur, quam nos externam vocamus; aliam, quæ manet in agente, quam nos vocamus internam, est enim propria agentis intellectualis, qui præconcipiendo et volendo se præparat ad agendum; et ad hanc inquit D. Thomas prædestinationem pertinere, idemque nos dicimus de prædefinitione, quia, ut dixi, verbum *prædefiniendi* et *prædestinandi*, in rigore, æquivalentia sunt. Inter verbum autem *prædefiniendi* et *præparandi* hæc solet notari differentia, quod ea tantum dicitur Deus præfinire quæ absoluto decreto facere statuit; præparare autem dici potest, et illa quæ sic decrevit, et quæ antecedente tantum voluntate disposuit, nam etiam dici potest Deus gloriam reprobis præparasse, utique quantum in ipso est.

4. Denique, ex dictis intelligi potest verbum *prædefiniendi* (et idem fere est de cæteris, ad propositum voluntatis applicatis), verbum, inquam, *prædefiniendi*, ex vi propriæ significationis suæ, non significare voluntatem Dei per modum exequentis, nec per modum proximi principii efficientis ad extra, sed ad prædefinitionem sufficere propositum per modum intentionis, seu electionis; id enim proprie significat verbum *prædestinandi*, ut ex Paulo notavi, et in propria materia ostendi, et in sequentibus attingam: illi autem verbo æquivalet, ut dixi, verbum *prædefiniendi*. In nobis etiam id constat, recte enim dicimur nobiscum definire, quæ facere intendimus vel eligimus, juxta illud 1 Machabæorum 1: *Multi de populo Israeli definerunt apud se, ut non manducarent immunda, et elegerunt magis mori, etc.*

Et sic etiam dicitur 1 Regum. 20: *Intellexit Jonathas quod definitum esset a patre suo ut interficeret David*. Et idem est cum proportione de verbo *destinandi*, juxta illud Machabæorum 6: *Destinavit non admittere illicita, et alia quæ supra citavimus*. Ac denique talis definitio vel prædefinitio solum est propositum quoddam voluntatis, quod de se usum et effectum antecedere potest, quamvis ad illam sive physice sive moraliter inclinet, et sive proprie sive metaphorice moveat et inducat. Quod si quis dicat etiam voluntatem æternam Dei executivam, qua in tempore operatur, esse definitionem seu præfinitionem, non multum de verbo contendam, maxime quando illa voluntas est omnino absoluta, dummodo non asseratur illam solam esse voluntatem prædefinitivam, et in ordine intentionis non sufficienter salvari: hoc enim et sine fundamento dicitur, et falsum esse ostendunt quæ adduximus.

5. Tò præ *quid significet.* — Superest dicendum quid denotetur per illam particulam *præ*, ex qua verba *prædefinitio*, *prædestino*, et similia componuntur. Quidam enim novi Theologi volunt in proprietate solum significare antecessionem decreti divini ad omnem præscientiam futurorum, secundum ordinem rationis, et omnem aliam significationem improprietate esse dicunt, et ideo in expositione Scripturæ quoad talia verba non esse admittendam, cum Scriptura debeat in proprietate sermonis explicari, quandocumque commode potest. Sed hæc sententia, quoad hanc posteriorem partem, non habet fundamentum, neque in Latina significatione illius dictionis et compositionis in omni proprietate sumptæ, neque in Patribus aut Scriptura, ut ex dicendis patebit. Dico ergo tria posse per illam particulam et compositionem ejus proprie significari. Primo quidem, interdum significat non durationis, aut antecessionis ordinem, sed dignitatis excellentiam, sicut videri potest in nomine *Prælati*, aut *Præpositi*. Et sic de virgine dicit Ecclesia: *Elegit eam Deus, et præelegit eam*, id est, ad singularem dignitatem elegit. Et hoc significatum in verbo *prædestinandi*, et appellatione prædestinatorum placuit Catherino, quia putavit non omnes salvandos esse prædestinatos, sed illos qui altiori modo, et ad singularem gloriæ dignitatem electi sunt. Neque displicet illa significatio Salmeroni, in dicta disp. 1, neque Lorino ad illa verba Actor. 2: *Hunc definito Dei consilio traditum*. Sed licet significatio hæc non sit impropria,